B. N. C.!
FIRENZE
1021
26

10 U · 26

Digitized by Google

43

A

BALDVINI

DE MONTE SIMONCELLI
E VICENI DOMINIS.

COSMO II. MAGNO
HETRVRIÆ DVCI IIII.
A CVBICVLIS.

In obitu HELEONORÆ Principis Magni Ferdinandi Filiæ,

Ad Magnam Ducem Matrem, Laudatio.

MARIÆ MEDICI Galliarum Reginæ nuncupata.



BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

Florentiæ, Apud Zenobium Pignonium. Super. permiſſu. 1618.

1021.26

CHRISTIANISSIMAE REGINAE MATRI, MARIÆ MEDICI GALLIARVM REGINÆ,

Balduinus de Monte Simoncellus.

NON meo id Marte, Regina, audeo, vt funebri iterum donario te venerer; ſatis, ſuperque edoctus, & quæ ſuperis offerantur non cupreſſu, ſed lauro redimiri oportere, & inauſpicato, malaque aliтe é portu hoc litterario me ſoluiſſe intelligens, cum Franciſci Principis laudationem ſub nominis tui auſpicijs vulgauerim. Quapropter ne vetere illo prouerbio. *ſiculus mare.* perſtringerer; gratijs litaui, nauigium luſtraui, ac de Cœlo obſeruanti, fauſta omnia, meæ Palladis, Magnæ inquam Ducis Matris reſponſa, immo imperia prænunciant; illa enim, & deplorandæ Principis filiæ munus mihi iniunxit, ac tibi dicandi lacrymas officium. Ne graueris igitur, Regina, emortuam hanc Heleonoræ imaginem ingenij mei penicillo depictam, maieſtatis tuæ radijs contingere; nedum enim ſpiritum ac vitam, ſed vocem proculdubio recipiet, & nunquam denuo moritura, non ſtatis horis, ſed ſingulis, quà viuentis Reginæ humanitatem, quà reliquas extinctæ Principis virtutes præſenti, ac futuro Orbi prędicabit. Ceterum ego iam te nimis diu detineo, & precibus mea vota remoror. Nunc velim animum à Gallia parumper auertas, Hetruriamq; tuam, ac Regiam reuiſas, quæ te intra auguſtiſſimos parietes eduxiſſe gloriatur. ibi poſt Filiæ Principis obitum, Magnam me Ducem Matrem alloqui putes, atque hunc totum de Heleonora tranſigere ſermonem,

qui, vt plus dignitatis atque authoritatis haberet, non niſi probatus Sereniſſimæ Chriſtianæ auribus, Chriſtianiſſimæ Mariæ oculis exponitur. ſed ego ad rem aggredior, Deumq; intimis veneror votis, raro vt id accidat, tuorum te laudatio nes excipere oportere; cum vero par tibi ab illis aliquando referatur,

Tarda ſit illa dies, & noſtro ſerior æuo.

Florentiæ Idibus Ianuarij 1618.

BALDVINI DE MONTE SIMONCELLI.

IN OBITV HELEONORAE PRINCIPIS MAGNI FERD. FILIÆ.

AD MAGNAM DVCEM MATREM LAVDATIO.

FATEOR, Domina, multis me tibi nominibus debere; ſed nullo magis, quàm quod ſæpius ingenium meum ac ſtylũ perhumaniter laudas, illudq; oſtendis palam, delectari te amœniori hoc cultu litterarum, quo non inficior eſſe mihi in votis expoliri, vt tantorum Principum famulatu non indignus euadam. Et quidem, ſi honor alit artes, quem tuæ vocis præconio hæ, quæ liberales appellan-

tur, aut maiorem conſequi, aut ampliorem exoptare poſſunt? Ego enim dudum æqualis gradior aſtris, ob tantum, ſeu laudis teſtimonium, ſeu ad laudes ipſas incitamentum. Ceterum cum in huiuſce æris alieni partem, quod ſolus ferendo non eram, illæ etiam mecum libentiſſime veniant, iube hoc grati animi officium (paruum illud per ſe quidem, ſed quia magno tuæ vocis imperio excitatum, tibi vt auguror non moleſtum, nobis, vt ſentio, neceſſarium) inter accepta referri, quo non ſolum prioris ſummæ magnifica collatione, ſed huius quoque puſillæ liberali acceptione (quæ ab vna eademq; magnanimitate tua pendent) tum ego ipſe tum litteræ tibi indiſſolubili nexu obligatæ eſſe fateantur. At verò cogitanti mihi, quid potiſſimum hoc tempore ob oculos tuos ponerem, lacrymæ, quas Heleonoræ Principis īmaturus obitus vniuerſo penè Orbi excuſſit, dignæ viſæ ſunt, quæ implerent hanc ſcenam triſtem, ac luctuoſam; lacrymæ inquam, nam quis laudationē illas nuncupare audeat, quæ tantarum virtutum extremam partem non

modo non exprimeṅt; ſed ne vmbram quidem adumbrabunt? Quapropter dabis tu quidem hanc veniam, vt vulnus retractare tuum poßim, tenuis eloquentiæ ſtylo, immo vberrima lacrymarum vena diluere; nam illud dicendo ſi efficiam, vt munitæ ſapientiæ tuæ vim penetrem, ac commoueam, cæteris omnibus longe melius Heleonoræ Principis memoriæ me conſuluiſſe gloriabor; lacrymæ enim tuæ laudationis amplißimæ atq; abſolutißimæ, laudatio autem mea debitarum tantis virtutibus lacrymarũ nomen, iure optimo conſequentur.

Ceterum quã multa mihi in ſuſcepta Prouincia occurrunt? Cuius ponderis, ac momẽti ſingula? quam magna, quam præ ſe maieſtatem, quam amplitudinem ferentia vniuerſa? Ita vt, dum ea mente complector inopem me copia faciat. Nam ſiue ad obitum Heleonoræ animo conuertar, ſiue, quæ ab illo in Mediceam Aulam, in florentißimam Vrbem, in Hetruriam totam, immo in Italiam, atq; in Orbem vniuerſum manarunt incommoda; ſtylo comprehendam, ſi quam immaturo tempo-

re deceſſerit recenſeam: ſi attingam cuius telæ orſus inopina morte reſciderit: ſi libauero virtutum copiam atq; apparatum, quo ſæculum hoc virtutis egentiſſimum orbauerit; quid aliud tum publicæ, tum priuatæ vtilitati proſpiciens, grauiter, verè, ſapienter pronunciare potero, quàm (vt de Africano ille ait) Heleonora Principe mortua, Solem è Cœlo cecidiſſe? Sed vt modum orationi imponam, ac ne in vberrima materia iudicio penitus, atq; electione destitutus appaream, cum opportunè admodum in hoc lacrymarum auſpicio Solis inciderit mentio, hoc Duce, illarum luce frui conabor, quæ faces nunquam clariores infauſtæ Mortis vmbras, noctemq; detexere. Et profectò, quid me, Domina, latere poteſt indice Sole, aut quid mihi Sol indicare, non æque fide dignum, atq; admiratione? nam quæcunq; ex te eliciam, ſiue ab oculis lacrymas, ſiue à pectore quæſtus, Sol idem Heleonora deteget, atq; illuſtrabit; ita ut, iam non alios mihi latices, quã tuas lacrymas, nec Parnaſſum, immo orbem alium, præter te vnam exoptem.

En

En igitur, dum ego te iubente facundiam, tu me, ſeu potius pietate, dolorem tuum refricante, lacrymas exere; etenim nullum in tanto dolore eloquentia, aut in tanta commiſeratione fletus deficere poteſt. Quod alibi eruditioni tribuitur, vel humanitati, hic officium vſurpat; & veluti ingens pecuniæ uis ſi bonis, expeditiſq; nominibus collocetur, fœnus non niſi magnum, atq; vſuram reddit, ita Heleonoræ interitus, nō niſi vberes à Matre lacrymas, non niſi diſertam a famulo laudationem exigere poteſt.

Nam, ſi vt ſapientibus placet, eorum eſt mors digna fletu, qui diu, vt viuerent publico, priuatoq; bono conducebat, cui vnquam, aut viuenti Heroinæ cumulatiori gaudio hominum genus debuit lætari, aut demortuæ vberioribus lacrymis litare, quam Heleonoræ? in cuius pectore non vmbratilis hæc crudaq; virtus, & vix tanto nomine digna pullulabat, quæ fortunæ dexteram porrigens; ouantem, immo triumphantem ſequitur, & curru portatur eodem, *ſed illa exacti ſæcu-*

li

li recoquebatur, quæ maxima, moriq; immerita Catharina Medici Galliarum Reginæ, Cælum recluſit, quamque tu vniuerſam, cum in illius ſinu educereris, hæreditario iure, immo voluntario labore imbibiſti; iam tunc diuinitus æterna Sapientia id moliente, vt quæ Hetruriam, ſtirpemq; Mediceam fœcundiſſimo gremio ad perennitatem Imperij fulcire debebas, non niſi à Medicea Heroina dominandi artes edocereris, quas longa ſæculorum ſerie, de te Medicea propago ediſceret,

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Ac profectò, ſi natura ita comparatum eſt, vt eorum exempla imitāda ſuſcipiamus, quorum virtutem ſuſpicimus, vulgares cœtus, vdamq; humum fugienti penna deſpicere, cū tu Reginæ illius, quam modo laudaui, ab ore penderes, cum omnia non ſolum facta, ſed dicta etiam illius memoriæ mandares, eiuſq; præceptis ad iſtam ſapientiam euadere ſtuderes, quam pauci capiunt, omnes admirantur; magnam profectò laudem in Reginæ *nomen con-*

tuliſti, profeſſa, atq; indefeſſa imitatione; ſed multo tibi maiorem, tam ſimili expreßione paraſti; quam poſtea cum in Heleonora pleno fonte deriuaueris, nonne id præſtitiſti, vt tibi vni acceptum referret Orbis terrarum, ſi præſtantißimæ virtutis, ſed extinctæ; quinimo inter Sydera, quæ Beatitas paſcit collucentis; renaſcentia lumina oculis vſurparet, ita vt, & præteritæ deſiderio non angeretur, quam adamußim tu ipſa referres, & futuræ ſubſidium in Heleonora Principe cerneret amplißimum?

Libenter immoror, Domina, in ſuſcepto Reginæ *Matris argumento; noui enim nullum tibi nomen dulcius reſonare, nulloq; magis humanitatem tuam excitari; qua propter, cũ extinctæ filiæ deſiderium, ac materna pietas inſtructiſſimis ſapiẽtiæ Caſtris vallata ſeptaq; ſit, & vix dolori, nedum lacrymis pateat, aliò tormenta hæc oratoria dirigam, & in animũ tuum, qui ad* Reginæ *Matris nomen incuſtoditus ſemper, niſi ſi ab amore, atq; adſectu, patet, facundiæ ſpiritum, ignemq; coniiciam,*

vt ſemel dulci quadam icta amaritudine, in abditiſſimos tuos ſenſus exinde facilius irrepere oratione poſſim. Nec verò te deſero, cuius vt virtutes exigerem, tantum onus ſuſcepi, Heleonora; quinimo demandatum mihi Sereniſſimæ Matris imperio munus, æquè facundè, ac religioſe curabo, ſi tuis laudibus Maternæ, Auitæq; virtutis enarratione quadã proluſero. Nec tu ægre id feres Auguſta Mater, ſi tui animi dotes longè pulcherrimæ filiæ quodammodo laudibus inſeruient; decet enim te paria cum illa facere, ac, quam gratiſſimi animi ob à te ſuſcepta beneficia ſenſiſti quæ vitæ tutamini ſunt, atq; ornamento, cumulatiſſima compenſare mercede ob præcepta moriendi; illa enim à te, quì viuere; tu ab illa quì mori expediat, didiciſti.

Age nunc, præbe te mihi, atq; omnes pande humanitatis ſinus. nihil hic virilis illa, arduaq; virtus, quæ callum dolori obducit: nihil quæ iras, volputatesq; compeſcit. æqua, quæ manu, aut quæ munifica, pœnas, ac munera diuidit, negotij hic nihil habent. memo-

riæ tuæ mihi opus eſt arte, vt dulces illos exacti tẽporis annos, ætatemq; vltimam recorderis, cũ à maternis amplexibus diuulſa, Auiæ ſinum non puerilibus lacrymis, ſed ingenti gaudio, ſed præmatura ſpe impleuiſti, te illam aliquando futuram, quæ ſeneſcentibus cum Orbe virtutibus, viriditatem, ſanguinemq; reſtitueres, & Reginæ Auguſtiſsimæ animi pariter, corporiſq; effigiem repræſentares. Cuius rei en quod aliud auſpicium, incrementũq; fuit, quam pietas, ac religio in Deum, Comitas, vrbanitaſq; in homines? quis alius fructus, quam prudentia in negocio, ſapientia in ocio, virtus, gloria, pudor vbiq;? Quæ tu ſingula, tam ſagaciter, ſollicitèque inueſtigaſti, tam auidè arripuiſti, vt argumenta tunc multa erumperent, Matris, magnæq; Ducis perſouam ſub puellæ aſpectu latitaſſe, & publicæ te vtilitati, non priuato commodo, tot inſtrui virtutum copijs, dies, noctesq; fuiſſe ſollicitam. Quo interim gaudio Regina perfunderetur quotidie dum cerneret vergentibus ad occaſum annis deficien-

tem ætatem, tam clara propagine reparari, quis alius te præter dicere potis, quæ cum maximis Gallia motibus agitaretur, nulluſq; cladium finis, niſi à Dei Numine, ac Catharinæ nomine, & ſapientia appareret, tu illi ſolacium, tu delicium, tu ſæuientis fortunæ leuamen vna fuiſti?

Patere, ſis, nunc Domina, vt tota te mente, animoq; inter ſapientiæ tuæ crepundia verſantem, aliò auocem, atq; ab hac promulſide doloris, pias, debitaſq; magis

Ire iterum in lacrymas.

Cogam; etenim ſi optimæ, tuiq; amantiſſimæ Reginæ, *ſi tranſacti temporis, quod omni te virtutum genere expoliuit, recordatio, non niſi amariuſculè adfectus tuos permulſit, quid triſti prorſus commemorationi, atq; infauſtæ debetur* Heleonorę. Principis. Filiæ. Obitus? *licet enim tot iam ſtipendia ſub huius, quæ vita dicitur, Mortis ſignis emerita ſis, vt ſi confecta temporis ſpatia remetiaris, longè magis à carceribus, quam à meta diſtare te ſentias, abhorret tamen à tua prudentia*

tia, atq; animi fortitudine de hoc ita ſollicitari, vt doleas; neq; etiam Reginæ Matris recidiuus dolor te magnopere commouere debet, quæ plenis iam annis moritura deceſsit, cuiq; raro quodam fato illud accidit, vt æquis ferè greßibus gloriæ vitæq; metam, atq; humanæ felicitatis contingeret.

Ceterũ in Heleonora ſequus omnia. Nam cum idem ſtadium eodem ſtudio decurreret, ab oculis repente noſtris ſublata eſt,

——— Iam plenis nubilis annis;
Sed, ehu dolor, ehu lacrymæ. nulli nupta viro; quo nullam tibi ſobolem, præter illius triſte deſiderium, luctuoſamq; memoriam relinqueret.

Cui quidem memoriæ, qui tu Parens indulgentißima, abſq; lacrymis parentabis, aut vbi illi facem, niſi in lacrymarum fonte accendere fas ducis? Iam quæ ferali pompæ prælucere debebant eloquentiæ funalia, ſeu mœror ingens, ſeu facundia tenuis extinxit, & ſ[illegible]n tem Epirotico illi ingenio parem, depoſcunt, cui, dum ea admoueo, Solem (quo Duce has

lacrymas auſpicatus ſum) memoria retinens, Oriente, Meridie, Occaſu, Heleonoræ Principis vitæ curriculum definio, cum illius exiſtimationi, cum dignitati tuæ conſulens; quæ in robuſtiorem virtutem peccaſſe argui minimè poteris, ſi clariſſimi, cui nubem omnem deduco, Iubaris, acriori intuitu, conniuētibus oculis collacrymaueris.

Quæ autem huius exortum conſequuta sūt, tunc cum primum per ætatem effari licuit quid aliud, quam præſagia præclariſſimæ indolis; atq; ad omnem virtutem factæ extitere? vt planè intelligerent omnes, non minus lepide, quam vere Romanum olim Pindarum ceciniſſe, fortes creari fortibus, Parentumq; virtutem in filijs ineſſe. Verum inſitam illam, atque innatam vim, quo cultu, qua doctrina, quanta celeritate, ac facilitate promouit Heleonora, ac roborauit? Quibus ſingulis acerrima quæq; ingenia integris annis detinentur, paucorum illa menſium conuerſione, ſed adeo tenaciter hauſit, vt memoriæ, an ingenio palma deberetur in dubium reuocari

potue-

potuerit; nam præter latinum ſermonem, purum, ac nitidum, & priſcam illam antiquitatem redolentem, Hiſpanum, & Gallicum, quodq; magis quis admiretur, Germanicum percalluit; politioris Orbis partes lingua complexa, vt quàcunq; ad Imperium vocaretur, nuſquam aduenam, vbiq; indigenam, Regnoque natam, non Maieſtate tantum, *ſed etiam oratione indicaretur. Et profectò quis non admirabundus ſpectauit, id ætatis puellam, memoriter, & iocundè verſatili prorſus ingenio volucrem linguam accommodare, ac modo latialis idiomatis peruetuſtam Maieſtatem (vt Corneliam Gracchorum audiuiſſe videretur) in lucem ab inferis reuocare, modo Hiſpani vim, roburq; exprimere, aut reddere examuſſim Gallici dulcedinem, aut Germanici aſperitatem? Magnum oppido diuinitatis argumentum, beatarum mentium, omniq; corporis labe immunium, intelligendi, ac loquendi agilitatem, quantum non homini datum, hominibus effingere. Nec verò minori celeritate linguâ ſtylus, quam memoriâ*

lingua,

lingua, vel ingenio memoria inſeruiuit. implebat munus ſolertiſſima manus, & quo nec linguæ, nec ingenio primas deferre videretur, oſtentabat operoſo ductu diuerſiſſimas literarum figuras, atq; in gloriæ partem, maiorem omnino laborem, operamq; ducebat. Vidi ego, Domina (facere .n. minime poſsũ quin glorier) & veluti rem ſacram veneratus sũ, Scipionis ſomnium a Cicerone concinnatum, ab hac noſtra in vernaculam linguam conuerſum, eiuſq; lepidiſſimo chirographo deſcriptum; & planè ſuſpicari potuiſſem, Italicè magnos viros à Cicerone relatos, loquutos eſſe, ſi Italica hæc tunc temporis lingua viguiſſet, aut in Cælo non Muſis architectato, ſcitiſſimam fabellam Scipio dediſſet; adeo venuſtius, grauius, ornatius, atq; vndequaque decentius ſomnio inuigilauit Heleonora dum verteret, quam Scipio dum referret, Cicero dum enarraret.

Quid de Cætero ingenij, ac memoriæ inſtrumento dicam, omnem, non ſolum antiquitatem tenere, ſed ita ad manus in promptuq; habere,

habere, vt fortuitos rerum euentus, vel ſapiẽter prænoſcere, vel prudenter corrigere potuerit, nuperiſq; his quibus agimur fluctibus, Ignorantiæ recti, atq; inuidiæ, *ne tantillum quidem commoueri? quæ enim præcipuæ fœminarum ſunt artes, plectro vocem modulari, aut cogere in numerum greſſus, motuſq; corporis, vel penicillo Apellem, vel acu Palladem, immo naturam ipſam prouocare, pudor eſſet inter Heroinæ noſtræ virtutes censère, niſi id præſtantes artes conſequutæ fuiſſent, vt cum Heleonora earum tractatione cœleſtibus initiaretur, inaugurarentur illæ, quo nulla in poſterum inauſpicato fœmina, eas tractaret, quas Heleonora dignas duxiſſet, quibus operaretur; nam quid aliud ad fides vox, greſſuſq; compoſiti, quam Angelorum modulationes, ſubiectorumq; Orbium conuerſiones indicabant, vel quo manuum operoſæ molitiones tendebant, niſi vt vniuerſi Opificis Dei, quam ſimillimo poterat opere magnitudinem veneraretur ac Maieſtatem?*

His illa artibus primam ætatulam occupa-

uit; mox pietatis, quæ in tenellam tu mentem ieceras, fundamentis, ſuperextruere cœpit, propriaq; animi bona, virtuteſq; architectari, quas cum omnes in delicijs habuerit, liberalitatem tamen, ac munificentiam toto ſinu complexa eſt, vt facilè ſenſim in charitatem, largiendi inheſauſtus adfectus dilaberetur; id enim non modo præter conſuetudinem, ſed præter naturam Heleonoræ accidit, vt non ſemiuirtutibus ad habitus qui turbatos animi motus, appetitioneſq; cohibent, & Rationi parentes efficiunt, ſed ab his ſtatim ad perfectas, atq; omnibus numeris abſolutiſſimas eueheretur, quas nec aureum orationis flumen fundens Ariſtoteles perſpexerit, nec grauiſſimus author, & magiſter intelligendi, & dicendi Plato inueſtigauerit, nec fons ſcientiarum omnium Homerus in decantatis Heroibus meditatus fuerit.

Video nunc Domina, quò me, ſtilumq; meum Heleonora rapiat: iam igneos virtutis radios, currumq; agnoſco, & Aurigæ charitatis vicina verbera ſentio; & planè meri-

diem

diem aduentare intelligo, quo; veluti coruſcis
Nox afflata rotis; refugo palleſcit amictu
Lucidiſſimus ortus, illudq; vitæ curriculum, quod ſummis, ut potui adhuc laudibus extuli. Quid igitur? vt paulum ſepoſita ſeueriori ſapientia, in humanis te adfectibus, & pietatis lacrymis, doloriſq; detineam? confectum recurram iter, & forte ab Heleonora impetrabo, vt quemadmodū fide olim preces allegante, pronus in occaſum Sol ſubſtitit, atq; in opaca noctis vmbram caneſcentibus radijs refulſit, pariter illa ad meridiem incumbens, meritorum currum in oriente parumper ſiſtat, quo virtutes, quæ inter humanum puluerem, mortalemq; conditionem verſantur, plenius luſtrare poſſim. Quod ſi igneam penitus vim remorari non licet, æquo id ſaltem animo ferat, vt à meridie auerſus (veluti ab extimo cælo errantia ſydera) emenſa iterum ſpatia, Auroram, Ortumq; reuiſere adulto lumine poſſim; vbi enim ad puriſſimum Solem conuerſus illius lucem hauſero, nihil iam amplius mortale cupiam. lacrymarum doloriſq;

C *ſitim,*

ſitim, in perenni luminis fonte reſtinguam.

Conſulamus igitur poſteritati, & venturo Orbi paremus ſubſidia, virtutes illas Heroinæ noſtræ enarrando, quas imitari homines, ac capere poſsint; quæ enim reſtant, iam non exemplo delectæ, ſed admirationi ſepoſitæ ſunt.

Hic verò nihil mihi ſe ſe offert aliud, quam æquabile, ac perpetuum Rationis temperamẽtũ; quo dum ſingulæ animi affectiones ad honeſtatem diriguntur, mirus quidam ſonus, atq; eo dulcior, ac ſuauior mentis meæ aures complet, qui impulſu, & motu cœleſtium Orbium conficitur; etenim, ſi in propiores humanitatis adfectus ſe ſe exerceat (qui oppoſitis inuicem miſericordia, atq; odio concluduntur) Manſuetudo oritur, quæ, ad ſupremum licet fortunæ apicem euecta, nullis, quibus cæteri premantur, mortalitatis ærumnis, à commiſeratione humanæ conditionis, ac memoria deflectitur. Nam ego à candidiſſimi pectoris, & niueæ prorſus fidei viro accepi, ſolitam hanc noſtram, non modo excuſare humaniter

pecca-

peccata, ſed incuſare accerbè accuſantes, illud, ſi quid cuiquam ipſa audiente imponeretur, ſubdens, multa quoque eſſe, quæ in eo quem carperent, laudem mererentur, quibus omnino decentius inſiſterent, quam detrahendi anſam arriperent. O igitur terque, quaterque beatos, quibus diuinitus accidit, vt Humanitati ipſi iocundiſſimo labore famularentur, quiq; dum Heleonoræ inſeruirent, non tam parendi, quam imperandi artes didicere; quid enim facilius, quid lenius, atq; humano ſēſui (ſuopte ingenio dominationem detrectanti) accōmodatius, quam eò manſuetudine, ac lenitate homines deducere, vt iuſſus æque, ac preces magnifacerent, nihilq; intereße putarent, ſiue precario Princeps noſtra iuberet, ſiue iuſſu precaretur? Hinc perpetua illa, & verè cœleſtis vultus, oriſq; ſerenitas, ad quam nulla offenſionis nubes è famulantium ſalo pertingebant, quæ quidem Dominantium tranquillitati ita officiunt, vt cum publica aliquando peroſi, ſeceſſum quærunt, quo magnæ fortunæ oneroſam perſonam pauliſper exuant, in peni-

tiores calamitates deueniant, ac Lucretianum illud perpetiantur, quo neſcio an aliquid ſit miſerius.

Quod ſibi quiſq; velit neſcire, & quærere ſemper.

Sed cum in humilioris notæ viros tanta ſe manſuetudine geſſerit, quantam in eos percolendis, quos eodem fato, ſorteq; naſcendi, æquales, maioreſq; habuit fidem, obſequium, diligentiam, adhibuit? Dic ſodes, tot licet syderibus in iſta viduitatis nocte refulgens, hoc tamen quia vno cares, orbata Mater; ec quid tibi viſum eſt vnquam, pleniori iure animum in officio, mentemq; propriam, quam præſtantiſſimæ filiæ, vt ita dicam, Microcoſmon habuiſſe? An nutus illa tuos non veluti ſemper imperia capeſsit? adeo vt illos tanquam oracula obſeruanti, te aliquando aliquid imperaße, vix ſuſpicer; quinimo, ne innuiſſe quidem crederem, niſi mentis acumen, quo nutus etiam Heleonora tuos prauertere potuiſſet, obedientiæ faſces ſubmittere coegißet, vt religiosè potius parere, quam

curiosè

curioſè in voluntatem tuam inquirere videretur.

Quapropter, temperare mihi nequeo, quin Arcem iſtam ſapientiæ tuæ munitiſſimam, omnibus machinis adoriar, illudq; de te quæram, ſi vno, aut altero pede debilitati homines, ſi oculo capti, ſi manibus mutilati, quotidianis ferè lacrymis funerato corpori parentant, tu, quæ animum, mentemq; tuis virtutibus ancillantes, tuiq; dimidium in tota filiâ, immo te ipſam totam in qualibet parte filiæ, amiſeris, parces porrò lacrymis, & ſicca ab hac ferali cena diſcedes? O audacem animi virtutem. O duras nimium ſapientiæ leges, quæ humanitati imponunt; ſed quas tamen, ſi vnquam, nunc, nunc abrumpere liceat; niſi, ſi etiam in loco deſipere, ſumma ſapientia ſit.

At ſanus næ ego ſum, qui Heleonoræ manſuetudinem lenitatemq; recenſens, extra mitiſsimæ virtutis limites acerbo me nimium ſtylo effuderim? Corrigo igitur orationem meam. atq; intra cancellos virtutis illius corripio,

vbi

vbi magnus mihi, latiſſimuſq; campus aperitur, ſceptris impeditus, purpura contectus, ac ſeptus vbiq; viridiſſima lauro. Heleonoræ enim fratres, ſororeſq; Principes, eorumq; agmen ducentes Sereniſsimi, Coſmus, ac Maria Magdalena, ſe ſe mihi dant obuiam; tot nempè gemmæ officioſa Heleonoræ manſuetudine in aurea loculamenta compoſitæ, vt non ſolum oculos allicere, verum etiam mentes, animoſq; hominum capere, ac tenere poſsint. Vt enim Aurifices, ac gemmarij ſolent: vnionibus aurum, gemmiſq; cæteris ſubſuunt, quo metalli omnium Principis famulatu, quam magno licitatoribus auctio addicenda ſit oſtendant; ita illa in fratres Sereniſsimos mirifico non aliud cultu contendebat, quam vt lateret neminem, ſupra humanæ virtutis modum eos attolli, quos tanti Heleonora faceret, vt penè famulatu nedum obſequio in eos gloriaretur. Sed quo tandem ſiue famulatu, ſiue obſequio? An ocioſo illo animi adfectu, qui ferè totus in amore explicatur, ac conſumitur intra pectoris penetralia, nec

aperit

aperit vnquam ſe ſe, aut molitur aliquid, aut operatur? minime gentium iſto; ſed induſtrio; ſed nauo, ſed ſollicito, & ſagaciter omnia indaganti; quæ illius operam, vel merentur, vel poſtularent. nempè, vt ſæpe videmus, ſi cum auro obligati præcioſiſsimi lapides in ignem decidant, liqueſcere aurum, atq; id quodammodo conari, vdo vt liquamine æſtuantibus gemmis ignem, caloremq; defendat; ita Heleonora, ſi quid in Aula accideret, quo fratrum cariſſimorum, vel corpora angerentur, vel ſollicitarentur animi, præcibus ſtatim, lacrymiſq; liquabat, vel vt minitantia Numinis tela auerteret, vel vt proprio ea ſinu exciperet. quod illi demum ad votum accidit, cum Vadimonium ſanctiſsimis verbis pro Magno Coſmo ferè depoſito, conceptum, præcoci, ſed hilari morte obierit. Quæ mihi animo diligenter volutanti, cunctis ſemper ſæculis ab omnibus deplorandus,

Flos illibatus populi, ſuadæq; medulla,

Franciſcus Princeps, in mentem redire ſolet; qui primus, Decij inſtar, fatali hoc Sacra-

cramento, ſed pio, ſed è cæleſtibus formulis repetito, fratres adſtrinxit, vt inuicem pro alterius capite ſe ipſos non ſolum deuouerent, ſed ad condictum etiam ſe repræſentarent; cuius tamen clariſsimi facinoris laus, te ſuperum, inferumq; moderatorem, ac Saluatorem humani generis Ieſum, *æqualem cum Patre maieſtatem, diuinitatemq; habentem, ſupplices adoramus, vt hic tandem finiat; & veluti olim præſtantiſsimarum virtutum, fortiumq; virorum Troia audiuit, ita huiuſce acerbæ, cinis extremus Heleonora dicatur, ac laudem illam pietatis eximiam perpetuo*

Habeat ſecum, ſeruetq; ſepulchro.

Haud negauerim, Auguſta, quæ multa adhuc mihi dicenda reſtabant, de Heleonoræ in Principes fratres beneuolentia; ea me cogi, vt ſupprimam, & quaſi velo contegam, Franciſci Principis recordatione, qui imago, ac typus huiuſce virtutis extitit præclariſſimus; ad quem ſi te reijecero, laboris mei partis, immo Regiæ Virginis virtutum ſummæ, rationem habebo, quas vt exequar vniuerſas, ſingulas

libem

libem neceſſe eſt, & quaſi à limine ſalutem. faciam igitur, quod in ſuffragia tribubus euentibus, nomenclatores candidatis; infarciam tuis auribus virtutum nomina, potius quam oculis ſingularum ſpeciem, pulchritudinemq; diſtinctè, planeq; ſubijciam.

Hactenus de Manſuetudine diximus, cuius veſtigia Modeſtia preſſit, quæ ſeu quid palam ageret, ſeu quid Heleonora loqueretur, ſtatim ſe ſe in vultum effundebat, virgineumq; candorem ingenuo rubore variegabat,

Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Siquis ebur.

Itaut excubaſſe illam in ſydereis oculis affirmarē, niſi pacatiſsima Rationis iura tam propinquum ſollicitumquè cuſtodē, ac vigilem probibuiſſent; illud tamen dicere auſim, quemadmodum militaria olim ſigna, nō ſolum in acie explicabantur, vt ordine quique ſuo milites, locoq; continerentur, ſed in triumphis etiam inter fauſtas populi acclamationes, Capitoliū Scandenti Duci præferebantur, ita propèmodū pudoris illud inſigne ab arce Rationis Mo-

deſtiam explicaſſe, vt adeptæ, partæq; laureæ plauderet, & promerito ab Imperatore abſq; militum ſanguine triumpho acclamaret. Solemne enim eſt vmbraticis militibus, & nunquam ſanguinem, pulueremq; expertis, eo frequentius in armis eſſe, promptiſq; ex armamentario ſignis pugnæ imaginem adornare, quo magis occaſio diſtat, ad quam erudiuntur.

Verum non Modeſtiæ ſolum inter virtutes Principis noſtræ ociari contigit, & Rationis vbiq; leges; ſuopte ingenio coli, perſpicere, ſed Temperantiæ, ſed Iuſtitiæ, ſed Continentiæ, cæteriſq; omnibus, quæ internas animi commotione reprimere ſolent; quibus tamen virtutibus, eo magis eximia quædam laus debetur, ac ſingularis; quo via conceſſa minus iuere; immo quo minus virtutis, plus Rationis habuere, huiuſq; lumine, non proprio coruſcarunt. Etenim ſi operoſa perturbationum moderatione, & veluti continua quadam cum rebellibus; ac refractarijs pugna; virtutes alibi efferuntur, & ſpecioſa ſibi nomina pariunt, quid illud in Heleonora, quamque omni, vt ita dicam,

cam, pugnaci laude, cruentaq; gloria maius, ad tranquillitatem, ad ocium in pacatiſsimo ſinu recepiße virtutes? vt aulæa, quæ arcendo è cubiculis frigori, vt cætera, quæ in priuatis penatibus quotidiano vſui ſupellex inſeruit; cuiq; prætium neceſſitas, vſus gratiam conciliat, in Regia *demum Aula, non niſi ad pompam, luxumq; magnæ fortunæ explicantur, eo præcioſiora, quo neceßaria minus.*

Habes animi ſacroſanctum Rationis fœdus religioſiſſime colentis imaginem, nullis illecebris pertentati, nulla cupiditatum dulcedine illecti, ire neſcij, voluptatis expertis. verbo dicam, non ad humanæ conditionis, ſed ad cæleſtis normam, regulamq; exacti. In quam ego imaginem attentius cum intueor, neſcio quid mirum admiror; quinimo nihil in illa admirari ediſco; veluti enim syderum inerrantium immutabiles curſus, & Lunæ, ac planetarum cæterorum inflexi motus, vulgareſq; nimium oculos ſollicitantes, hyems, atq; æſtas, & harum ſenectutem reparantes autu-

mnus, ac Ver, Mathematicos, cæleſtiumq; peritos haud magna admiratione afficiunt, qui illud optimè norunt, Solis aſtrorum reliquorum Principis acceſſu, ac receſſu, ea omnia fieri, ac temperari; ita nempe mihi in humanæ Rationis vim omnia conferenti (quæ Solis inſtar, ſed pleno ſemper lumine, & nullo vmquam terræ occurſu, Heleonoræ mentem, animumq; luſtrauit) nihil quod admirer in eius Iconiſmo vitæ occurit; quod tamen vnum cùm ſit præcipuè admirandum, mortale ſatis ingenium admirari non poteſt.

Nunc reliquam animi ſupellectilem Principis noſtræ explicemus, quæ nitet magis rerum illarum apparatu, quas externo v[illegible]us robore, operaque complectitur: Neq; vero à Sole recedam, cuius vbiq; ingenium, ac pulchritudinem Helconora retulit. Nam vt iiſdem ille radiis penitiſsimos terræ ſinus occulta virtute fœcundat, & ſiluas, ac colles quæq; omnium oculis cætera patent, viridãtibus comis, floribuſq; conueſtit, pari quoq; ratione humanæ illud naturæ lumen, ac mode-

ratrix

ratrix Ratio, internas virtutes, vixq; mortali viſui conſpicuas in Heleonora procreauit, atq; externas effinxit humano ſemper proſpectui expoſitas. quas inter illa vitæ magiſtra, morumq; concinnatrix Prudentia refulſit:

Velut inter ignes, luna minores.

Ad cuius exemplum adeo conſtanter ſe ſe Heleonora compoſuerat, vt nihil aliud eius vita, quam prudentiæ imago perfectiſsima videretur. Hac nempe humana, diuinaq; munera, temporaq; quibus ſingula obirentur non ſolum diſtinxit, ſed perpetuo, atq; æquabili tenore ita religiosè ſeruauit, vt non magis curſus aſtra ſuos, quæ in Orbem à ſupremo Cœlo rapiuntur. Cunctos illa dies à Numinis veneratione auſpicabatur, ac deinde, vel ingenio, vel corpori exercendo impēdebat, illud ſibi antiquiſsimum ducens, cum ocio aſſiduè collatis ſignis dimicare.

Age verò, quæ tanta in totius vitæ ordinatione, ac diſtributione prudentia apparuit, quæ demum in ſingulis gerendis, quam admirabilis, atq;, vt compendio dicam, quam

diuina fuit ? Quæ vnquam ab eius ore non quaſi ex tripode verba humanarum rerum euentus anticipantia non effluxere ? Nam ſi quid data aliquando opera conſulta fuiſſet, in Virgineo penitus ſinu reuiuiſcere Neſtorem dixiſſes ; adeo non niſi diuturna cogitatione euigilatis conſilijs, & veluti ex quadam prudentiæ refertiſſima penu de promptis, ex tempore conſulentibus proſpiciebat. Quapropter illud reticère minime poſſum, quod in eius laudem redundat ampliſſimam ; tantum te prudentiæ illius tribuiſſe, vt in maximis ſæpe rebus, tuæ iſtius (quæ humanæ faſtigium ſuperauit) vicariam magno cum fructu adhibueris. Hinc Reginarum illam è ſeminario, Summo Hetruriæ bono in Hetruriam conceſſam, Mariam Magdalenam Auſtriacã, ſolitam dicere accepi, nullam ſe vnquam Virginem, quæ æque Principis perſonam ſuſtineret, atq; Heleonora vidiſſe. Quo quidem teſtimonio ad omni laude Heleonoram cohoneſtandam, neque fidelius excitari poteſt, neq; grauius excogitari ; ita vt, ſi in exordio harum

mihi

mihi lacrymarum in mentem veniſſet, tot iam profuſis verbis parcere conſulto potuiſſem, illudq; pro multis, impoſito dum munere fungor, ſufficere vnum. Ceterum, cum huc dicendo peruenerim, cœptum proſequar. Sed priuſquam vlterius progrediar (vt ex vetere, ſacraq; formula, non vnico veritas teſte fulciatur) aliud afferam fœminæ longè primariæ, cuiq; cum gentilibus Mariæ Magdalenæ conſuetudo maxima intercedit, ampliſsimum teſtimonium; famæ ſcilicet, quæ dum Principum virorum abditiora quæq; curioſa ſpeculatione rimatur, præcelſiſſimis, quas hactenus enarrauimus animi dotibus excita, quod vſquam præclarum, magnificum, regiumq; in toto terrarum Orbe fuit, in Heleonoræ nuptum, ſollicitè, ſeduloq; legebat; cum interim (proh incomparabilis, & Terræ pariter, cæloq; ſpectatæ virtutis præſtantiſſimam dignitatem) meliores illi thalamum Genij in auguſtiſsima diuinitatis Regia inſtruerent, et dotem, virumq; Ieſum, *perenniſq; felicitatis gloriam Deus ipſe decerneret.*

Non

Non te fugit (Auguſta) & ſi contrario adhuc motu ad Orientem orationem deflexerim, ſenſim me tamen euehi, atq; ab Aurora procul in lucidiſsimum Meridiem abripi ad diuinarum virtutum contemplationem, nondum humanarum luſtro peracto. Idcirco cum fortitudine, ac liberalitate liberaliter minus me egiſſe intelligo, quæ quidem in dictæ, ſed fato, ſorteq; meliori à me abierunt, & feruido meridiei curru afflatæ, ſe ſe immenſæ luci immiſcuere. non ſequus, atq; aſtra ſæpe videmus, quæ dum auidius matutino rori indulgent, & per liquidum æthera renidentia, modo è niueo Calice, vel purpureos flores protuberantes, vel è purpurea gemma niueos erumpentes proſpectant, modo ſe ipſa in tranquillo penitus mari curioſius contemplantur, diffuſis iam radijs, largoq; lumine ſolis, deprehenſa, in ampliſsimam lucem euaneſcunt, & nomen, ac lumen amittunt. Verum enim uerò, quam magno lucro fortitudini, ac liberalitati ſtetit feliciſsima iactura? Quo illam fœnore, quo dignitatiis, atque exiſtimationis incre-

crementò compenſarunt? Conſpicio enim (quantum lippientibus oculis datum) robur il lud ſuum Fortitudinem in ſpem, ac fidem dilataſſe; profuſiſſimam verò largiendi cupiditatem in Charitatem euaſiſſe. Regium quippe pariter, (ſed humanum) & innato mortis timori pectus occludere, & recludere illud egentibus, noſtramq; opem ſuppliciter implorantibus. Sed omnia ad Cœlum dirigere, omnia in Deum vertere, cæleſte penitus, prorſus diuinum eſt. Spernit hæc humanitas humum, & licet ſtipendia inter homines fecerit, in syderum (quæ ad æternum nunquam ſolem occidunt) Capitolio, lauream depoſcit, immo triumphum agit.

Iam verò audaciori ſtylo excurramus, penniſq; non homini datis cæleſtia accupemur, eorum incunabula ſagaciter indagantes; quæ porrò ſi ad Cœlum omnino referantur, ocioſiſſimas nulliuſq; experientiæ virtutes, & pulueris, Soliſq; neſcias hac in parte ſanciemus; ſin autem ad Terram, operoſiſsimas declarabimus, immo ad ocium, ad Cœlum labore ipſo

graſſantes. Quid enim ſorores longè pulcher-rimas, Spem, Fidem, Charitatē, humum, ſe aliquando celebraſſe audire pudeat, quam non commentis Poetarum famoſus Iupiter, dū in gremio Amalthea innutriretur, ſed increata ſapientia, ſed prapotentis Dei Filius Ieſus *incoluerit, cum è fœcundo ſummi Patris ſinu delapſus, antiquiſſimum ſibi duxit cum hominibus deliciari? Et quidem non modo vos è Cœlo, ò formoſiſſimas, aſſero, ſed cælites, nec Diuinas tantum, ſed Deas; ceterum, cum de tenero Heleonora vngui formam iſtam emendatiſſimam deperierit, Parentem* Ieſum *non ſolum confeſſæ, ſed imitatæ, ad tenellam vos Virginem applicuiſtis, & quæ ferebatis ætatem, ſeu potius implebatis æternitatem, ſubiiſtis infantiam, vt veſtro interim ductu Heleonora in Terris ad Cœleſtium morem effingeretur.*

At ego iam vos, niſi eloquenter, pie ſaltē deduco, ò ſiue terreſtres Deas, ſiue Cæleſtes fœminas appellem. Tu verò nunc adſis ſummo hoc meo tempore Auguſta Mater, non mo

do

do vt dicenti ſilentio faueas, ſed etiam vt pre cibus foueas; agendum eſt enim mihi de virtutibus illis, quas cum cœleſtes nuncupauerim parum dixi, neq; enim Cœlum eas capit, quæ terram quoque implent, immo quæ Deum cælo, terraq; maiorem, vbiq; trahunt. Quid enim illud de reliquarũ Anteſignana, ac Palmaria charitate, quamq; præclarum? Vbi charitas, & Amor deus ibi eſt?

Ab hac igitur exordiamur, a qua, veluti ex ære illi addicta eſſet, munifica quotidie largitione ſe ſe Heleonora redimebat, ita tamen, vt nunquam nominibus diſpunctis, ſolutio magis ipſa æs alienum augeret; non enim quod ſuum eſſet ſe largiri profitebatur, ſed vel mutuum receptum ſoluere Deo, vel proclamantis naturæ ingenio obtemperare, quæ proprio quodam iure ab opulentiſſimis repeteret, quod inopibus deeſſet. In quo illa vno diuinam maximè bonitatem, ac prouidentiam adorabat, quæ quidem cũ ob paucorum opes egeant multi, charitatem cunctos æquare, ac reddere vnicuique quod ſuum eſt, iuſtitiæq; munus

 con-

conficere voluiſſet. Quapropter ærarium diuites appellabat, quod niſi ſemper pauperibus patuiſſet, maiori eos, quam furti crimine obſtringi cenſebat. ac profectò, qua ſollicitudine, qua cura, quam non perfunctoriè huiuſce criminis ſe ſe oſtendit immunem? Aditus egeſtati ſepſerant, eius qui iuſſu aduerſis fortunæ luſibus inuigilarent, iuramento prius adacti, periturum inter illos arcana pietatis ſacramentum, vt in cœlis ad perpetuitatem ſæculorum reuiuiſceret. Nullæ non interim diuino cultui ſacræ addictæ Virgines, nulla publica, priuataq; pauperum hoſpitia, nullæ ad incitas redactæ domus, aut pudore inopiam ſupprimentes familiæ, clandeſtinæ pietatis fructum non percipiebant. Quod ſi ob formæ elegantiam, ac fortunæ iniurias, paſſim ab ea collocati religioſiſſimi delatores retuliſſent, Virgineo adhuc impolluto flore puellas, in eo verſari diſcrimine, ne ſpecie depellendæ egeſtatis, dedecorum precioſi emptores, prædatoreſq; corporis ad eas admitterentur, quo illa adfectu, quam anxio, quam pudico, quam pio,

matu-

maturabat ſubſidium, augebat largitionem. ô prouidum, ô ſapientem, ô verè de ſinu Ieſu *effuſum oculatiſſimum Amorem. Hauriebat itaq; inexplebilis Charitas Sereniſſimi Coſmi Liberalitatem, & quæ in priuatos Heleonoræ ſumptus annua ab illo pecunia impendebatur, publicis quoq; expenſis in luſtrum ſuffectura, ſemeſtrem vix pietatem alebat; cum tamen nec fratris in ſororem, nec nummorum in Arcam, nec Heleonoræ in pauperes fides vnquã deficeret, iacturas, vel cum Regno ipſo commutandas, magno Coſmo iugiter reparante.*

Sed cum vbiq; Amorẽ, Charitatem vbiq;, vbiq; Deum Heleonora ſpiraret, ecce tibi moriendi exordium, immo viuendi auſpiciũ fecundiſſimæ alites prænunciant, & dudum diuino Amoris ictu immortalem animum, mentemq; ſauciæ, mortale repente corpus lue prorſus lethali corripitur, atq;,

Vulnus alit venis, & cœco carpitur igni.

Quem, ne ſalutaris Apollineæ rupis vnda reſtingueret, vetuſtiſſimus in te Amor, atq; obſequium in feruidam iam Charitatem conuer-

uerſus, ſilentio compreſsit, & maternæ pietatis anteuertit, an deluſit officiũ? certè, quod in eo fuit, obuiam iuit dolori; ſatius enim ſibi Heleonora duxit te ignara, ac diſſimulata valetudine in extremum vitæ diſcrimen adduci, quam profeſſa morbum humanis conſilijs ſubleuari, mentemq; tuam ancipiti caſu mœſtam, ſollicitamq; habere.

Quod animo mecum ipſe volutans, hæreo, Domina, nec illud pronunciare me ſatis poſſe intelligo, cui ex ſydereis Virginibus facti huius pulcherrimi (quoq; maturata ſolutione creditam tibi à Cœlo filiam, cœlo te reddidiſſe, humanæ adhuc clamitant artes) laus præclariſsima debeatur. an charitati, qua animi tui tranquillitatem vita ipſa Heleonora habuerit potiorem? An ſpei, quæ tantum concipere facinus auſa fuerit? An fidei deniq; quæ id totum effecerit, vt aſpectabilibus his, quibus maximè ſenſus noſtri capiuntur, poſthabitis, ad inuiſibilia, quæq; humanum captum ſuperant, fidentiſſimo animi conatu anhelauerit? Sed litem, quæ dirimat, immo

aſtum

æſtum meum, quæ explicet, Miſtæ vocem ſanctiſsimi audio

Charitas omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.

Huic igitur laus, ac laurea, huic triumphus, gloriaq; debetur. Cetera enim dum ſentibus, ſalebriſq; obnoxiam humanæ vitæ curſuram Heleonora inſiſteret, manu illam ad cœli vſq; limites duxere; hæc ſydera penetrauit, ac cœlos, & ſyderea in ſede Heleonoram collocauit: rerum illas diuinarum perfectiſſima ſcientia, tum viſus præſenſq; illarum beata fruitio à Cœlo arcent: hanc dum viſus accendit, viſus inflammat, fruitio non explet, æq; ſemper auidam ſaturamq;, Beatitas paſcit, ac nutrit.

Quid, quod cum cetera, vt ad rem noſtrã redeamus, in Heleonoram extremum iam mortis limen ſubeuntem, ius proprium exercerent, & Eccleſiæ, cui militamus, armis, totoq; illo è Chriſti latere deprompto humanæ ſalutis inſtrumẽto, munirent, tenebras hæc mortis, inferniq; ſpectra fugauit, ac Solem gloriæ, iuſtitiæq; reduxit? Cuius lumen, nondum exacta mortalitate Heleonoram hauſiſſe fidenter

fateri

fateri poſſemus, ſi Angelorum tunc temporis tripudia, ac concentus capere aures noſtræ potuiſſent, aut mortalem obtutum præſentiſſima diuinitas non aufugiſſet.

Sed ò inopem, labilemq; memoriæ fidem, ò propudio dignam ingenij mei audaciam. Nũc planè, Auguſta, intelligo, quod magnificum mihi, appoſitumq; videbatur ad Heleonoram efferendam, Solis argumentum, triaq; illa in hoc lacrymarum auſpicio propoſita mihi ſpatia, Oriente, Meridie, Occaſu definita; impa ria fuiſſe oneri, ac Mediceo ſoli ferendo, Cœleſtem prorſus ſolem euaſiſſe Phaëtontẽ. Qui enim Heleonoræ pueritiam, & virtutes vſq; ad Prudentiæ maturitatem adoleſcentes, Au roræ lumine, matutiniſq; radijs æquauerit: qui ſtylum, orationemq; meam anhelantium equo rum, flammaſq; vomentium pernicitate nũquam infractis viribus ad meridiem perduxe rit, onere ſe faſſus minorem, Oceano repente ruit, vt toto Thetidis velo pudorem ſuum abderet. Aſt ego, cui te denuo committam Heleonora? qua ſimilitudine, quo typo, aut ar-

gu-

gumento innitar, ſi ad iſtam Meridiei lucem, Sol humanarum rerum Pulcherrimus, idemq; efficaciſſimus, oneri ſucubuit, me defecit, occidit? Immo ſi tu longe Solis præſtantiam ſuperaſti, neq; id es paßa, à perfectiſſimo ætatis, virtutiſq; curriculo, humanæ iterum naturæ incommodis repueraſcere, & niſi aliud, vegetam integramq; minus viuendo ætatem ad calcem perducere? O ſis felix: iterumq; felix: æternumq; felix Heleonora; iam ego quoq; Solis ingenium imitabor, & quæ nedum ſtylus, ſed fides humana non capit, ſilentio inuoluam, nihilq; aliud in iſto ætatis Meridie, quam lucidiſſimum tuum Occaſum venerabor, ac finem dicendi hic faciam. Præclarè iam tecum omnia: tu cælum, ac cælites gaudio, mundumq; lacrymis, immo tui nominis fama hominum mentes impleuiſti, & quæ Florentiſſimæ adhuc ætati ſupererant ſpatia, confeciſti virtutibus. & quis igneos ſpiritus præcurriſſe tempus, vel admiretur, vel doleat? aut immaturum, præcocemq; de humanitate egiße triumphum aſſerere audeat, quem ta-

citis illis ſuffragijs æternitas ipſa decreuerit?

Cuius ego Triumphi ornatum, ac pompam mentis acie contuens (quadam enim de te cogitandi, ac loquendi conſuetudine ſupra me aliquid, ingeniumq; meum ſapio) non alio victricia ſigna emblemate vermiculata, non alio argumento munita, aut elogio deſcripta perſpicio, quam illo Romani omnium Imperatoris clariſſimi.

Veni, vidi, vici.

Ita ita. Nempè magnificè, appoſite, ſapienter; nam vix dum huius vitæ limen inieras, cum penitus eam intus, & in cute noſti, & pariter, ac Morte tempus, virtute Mundum, illiuſq; Principem explicatis tantum, excuſſiſq; ſignis debellaſti; vt non cruentis hoſtibus, ac catenis, compedibuſq; grauibus, & armis adhuc ſanguine rorantibus, miriſq; mortis imaginibus ad horrorē ſplendidiſsimus triumphus inſtrueretur, ſed incruentæ, compoſitæq; virtutes, nulloq; labore vexatæ, & ſolo ſupercilio victrices illum exornarent. Sed iterum, æternumq; Heleonora ſalue, idq; vnum exoranti-

rantibus annue (licet enim iam preces audire ſueſcas, mox etiam vota ſuſceptura) vt vetuſtiſsimum imitata Vatem, qui curru flammanti correptus, mortali ſe conditioni exemit, triumphale iſtud Paludamentum decidere ſinas, in quo cæleſtis manus Artificis ſegmentato ludens, longo quidem ordine, ſed ad viuum virtutes tuas expreſsit. non vnus illo Heliſæus, ſed Orbis vniuerſus amicietur, ac cæleſtibus, inaugurabitur. nihil iam tibi Beatitatis metam contingenti, alipedes virtutes proſunt, nihil diuina munificentia euocatæ, arma, aut ſigna conferunt, quibus mortalitatem viciſti. O nobis omnium egentiſsimis; ò nobis, inquam, qui Solis, ac Sali æſtu, procelliſq; iactati, de capite dimicamus adhuc, illis tegi, his vti, contingat. erit profectò abſolutiſsima tuæ felicitatis adminiculum, ſi dum te imitabimur, æque virtutis cultum pietate, ac nomen tuum laudibus, perenniq; veneratione celebrari perſpexeris.

En tandem, Domina, niſi qua debui, at certè qua potui, pietate, eloquentia, fide, Dixi, Fleui, laudaui.

F I N I S.

99 956181

1021 26
Z

15

1021.26